

Hermann Heltberg Lukas Stolterfoth


Exercitationum Logicarum XII. De Tribus Figuris Syllogismorum, & iisdem convenientibus modis

Rostochi[i]: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729115461>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 916

35 1717





1610
14

Annunte & Benedicente Domino
Exercitationum Logicarum
XII.

DE
TRIBUS FIGURIS
Syllogismorum, & iisdem con-
venientibus modis.

*In Inclutâ Rostochiensium Academiâ
Privati exercitiij causâ*

M. HERMANNO HELTBERGIO
Walfrodâ - Lunæburgico,

Respondente

LUCA STOLTERFOTO Lubecensi,
Proposita.

Ad diem XXI. Martij, Loco ho-
risq; consvetis.

RostochI

Typis Myliandrinis, Anno clc lcc X.

REUERENDA DIGNITATE,
OBSERVANTIA SINGVLARI,
eruditione insigni, humanissimis & prastan-
issimis Viris,

DN. M. IOANNI
STOLTERFOTO,

Ecclesiae Marianae apud Lubecenses Pastori
vigilantissimo, Parenti suo pluri-
mum colendo.

DN. M. IACOB O
BOETIO,

Ibidem in templo Iacobino praconi verbi
divini fidelissimo, Domino affini
suo honorando.

*Hasce studiorum suorum primitias debite
observantiae & honoris ergo in-*
scribit,

LVCAS STOLTERFOTVS L.

52 25



Prooemium.

Quemadmodum Anthropologia pars Physices nobilissima, non satis iudicat, quot humani corporis partes sint, quomodo item definiantur, exposuisse, sed etiam partium earundem inter se ordinem & variam collocationem proponit & demonstrat: ita etiam in logicis non sufficit, quot partes syllogismus in se contineat & comprehendat, quomodo item denominentur & dividantur, enodare, sed insuper etiam, ut partium earundem variam dispositionem, & inter se affectionem & collocationem, Philosophi declarent, requiritur & desideratur. Nulli enim usui forent omnia in præcedentibus Logicæ capitibus tradita, nisi syllogismi partium, ad quarum constitutionem omnia concurrunt & tendunt, ordinem & dispositionem Philosophi explerent; Hac itaque ratione ductus, Philosophus noister Aristoteles, non solum in prioribus capitibus librorum priorum analyticorum ipsam structuram syllogisticam & ejusdem partium numerum & fundamenta, verum etiam earundem variam dispositionem & inter semet ordinem est contemplatus. His itaque & nobis rationibus commotis, non satis sit in priori discursu syllogismi partes & essentiam considerasse, sed etiam earundem inter se ordinem hoc conspectu indagare.

Theorema Primum.

Figura est conveniens & legitima trium terminorum medi, majoris, minoris, in syllogistica

gistica structura collocatio: modus est certa quantitatum & qualitatum in syllogismi propositionibus dispositio.

I. De duobus potissimum in hoc theoremate sumus acturi, de figuris syllogismorum & de earundem modis. Nam necesse erit, quia in subsequentibus theorematibus de figuris syllogismorum, & quibuslibet in quavis figura modis sumus praecepturi prius in genere quid modus & figura sit, ostendere & declarare. Dicimus ideoq; in thesi nostra quod syllogismo in priori exercitatione generaliter considerato duo competant & convenient, figura videlicet & modus. Nam quemadmodum principia syllogismi in duplici sunt differentia, vel propinqua quorum nomine duae propositiones justo & convenienti ordine dispositae: vel remota, quorum notione tres termini, major, minor, & medius nobis veniunt, ita etiam duo ipsis ratione ipsorum principiorum convenientia, sunt constituenda. Nam ratione propinquorum principiorum id est duarum propositionum, & iusta convenientia earum collocatio modus: ratione verò remotorum videlicet trium terminorum & varia eorundem dispositione syllogismo figura competit. Iacob. Mart. Disputat. Log. Domelt. 10. thes. 18. Gregor. Horst. lib. 1. Instit. tract. 4. cap. 5. Dicimus autem in theoremate nostro quod figura sit legitima & conveniens terminorum in syllogismo collocatio, ut hac ratione à quovis alio illegitimo & confuso discursu & ratiocinatione qua non tribus terminis legitime & iusta ratione collocatis, sed vel pluribus vel paucioribus illegitime & confuse dispositis ad concludendum & inferendum aliquid, progreditur & procedit, discernatur & distinguatur. Dicimus deinde etiam quod figura sit collocatio, quo vocabulo genus definitionis nostra exprimere volumus. Nam quemadmodum Nautae instrumenta sua nautica, quò eò commodius & citius ad locum & portum quo

principia syllogismi in
duplici differunt
propinqua & remota.

collocatio
genus figure

Bin
Dorff

quò tendunt & iter suum dirigunt, vario, legitimo, & convenienti ordine collocant: ita etiam Logicus instrumenta sua Logice ritè & legitimè, quò eò citius & commodius in rerum cognitionem deduci & transportari possit, transponere & collocare tenetur. Nam primò cogitur majorem terminum prædicatum majoris & deinde etiam prædicatum conclusionis; minorem subjectum minoris propositionis, & etiam subjectum conclusionis, & medium subjectum majoris, & prædicatum minoris propositionis constituere; ut in hoc exemplo patet: Omne animal est substantia. Atqui homo est animal. E. homo est substantia. Hic substantia, major terminus, prædicatum majoris propositionis & conclusionis, homo minor terminus, subjectum minoris propositionis & conclusionis, animal medius terminus, subjectum majoris & prædicatum minoris propositionis constituitur. Cogitur deinde etiam Logicus majorem terminum subjectum majoris propositionis, & prædicatum conclusionis, minorem subjectum minoris propositionis & conclusionis, medium prædicatum majoris & minoris propositionis facere, ut in hoc exemplo liquet: omnis homo est animal: Lapis non est animal: E. lapis non est homo. Hic homo, major terminus, subjectum majoris & prædicatum conclusionis, lapis, minor terminus, subjectum minoris, & conclusionis; animal, medius terminus prædicatum majoris & minoris propositionis constituitur. Atq; sic variis usq; Legitimis modis sua instrumenta Logice tenetur collocare, ex quo generis in theoremate propositi evidentia & justa positio, elicitur & confirmatur. Nec moveat quemquam quod genus figuræ videlicet collocatio possit aliquo modo dici & denominari metaphoricum à Nautis videlicet, vel alijs etiam artificibus huc translatum. Sed firmiter & pro concessio habeatur, non esse absurdum & novum in scholâ Aristotelica, Metaphorico uti genere, in aliqua re definienda. Cum hoc ipsum sapissimè propter inopiam verborum, vel delectationem accidere, atq; sic libertati Philosophica, vel necessitati etiam

quò fieri debet
collocatio.

Genus hoc Metaph.

*diffra specificatq
figura.*

ascribi possit. Cum Philosophus non raro metaphoricæ vocabula, quando proprijs & genuinis destituitur, tanquam legitima & genuina adhibere, vel etiam semet ipsis oblectare, non prohibeatur. Differentiæ loco addimus vocabula legitima & conveniens, ut ab illegitimâ & incongruâ, ut in principio hujus theorematis etiam monuimus, collocatione hac ipsa distinguatur. Annectimus deinde etiam hæc verba medijs, majoris, minoris termini in syllogistica structura, ut hac ratione hæc legitima instrumentorum, artium liberalium & ingenuo saltem homine dignarum, à legitimâ instrumentorum artium illiberalium, & sordido homini competentium collocatione, discernatur. Atq; sic definitio, figura per genus & differentiâ specificam est in medium allata & proposita, ad cujus majorem evidentiam Coronidis loco annectimus hunc syllogismum:

Omnis definitio constans genere & differentiâ specifica legitimis est bona:

Atqui hæc nostra definitio constat genere & differentiâ specifica legitimis.

E. Hæc nostra definitio figuræ est bona.

Utriusq; propositionis evidentiam, in ipso disputationis conflictu, si quis à nobis petierit, demonstrabimus.

II. Post declarationem definitionis illius rei, quæ syllogismo, ratione principiorum remotorum competit, restat alterius, quæ eidem respectu propinquorum accidit, enodatio. Dicimus autem in theoremate nostro quod modus sit certa quantitatum & qualitatum in syllogismi propositionibus, dispositio. Ubi generis loco occurrit vocabulum dispositionis, quod collocare, varijs in locis ponere significat. Nam quemadmodum apes in alvearijs suis mel ut eo tempore hyemali vivere possint, varijs in locis ponunt, collocant, & transponunt, ita eodem modo etiam Logici propositiones syl-

In modo dispositio est generis loco.

nes syllogismi variè, multiq; in locis, quò eò melius tempore ob-
 scuritatù & ignorantia, veritatem & cognitionem apprehende-
 re, eademq; se munire, & animum pascere possit, collocare & di-
 sponere tenetur. De genere itaq; hoc nostro, si quis fuerit solli-
 citus, eodem modo quo precedentis, figura generis, veritatem &
 convenientiam, demonstravimus, volumus demonstratam & ex-
 hibitam. Ad differentiam innuendam hujus definitionis dà-
 cimus quod modus sit dispositio propositionum, ut hac ratione
 à simplicium terminorum, ex quibus illa constituuntur, variè
 collocaione & dispositione distinguatur & discernatur. Matth.
 Flacius Logicæ general. lib. 5. cap. 5 & seqq. Crellius lib. 3.
 Log. general. cap. 7. Jacob. Mart. Disputat. Logic. Dome-
 sticæ. 10. thes. 18. Gregorius Horst. Instit. Logic. lib. I.
 tract. 4. cap. 6. *Dicimus insuper etiam quod modus sit dispo-*
sitio quantitatum in propositionibus certa vel legitima, quibus o-
scendere volumus, utramq; vel saltem unam duarum propositio-
num universalem esse debere, cum ex puris particularibus pro-
positionibus illegitima sequatur & deducatur conclusio, secun-
dum illud Logicorum. Ex puris particularibus nihil sequitur.
Dicimus deniq; quod modus sit dispositio legitima vel certa pro-
sitionum quoad qualitatem, quibus indicare, cum D. Gregorio
Horst. lib. I. Instit. Logic. tract. 4. cap. 6. volumus, utramq; vel
saltem unam propositionum affirmativam, esse debere, cum ex
puris particularibus, secundam Logicorum essatum, nihil sequa-
tur, ut hoc ipsum in omnibus Syllogismus tam prima quam secunde
tam tertia quam secunda figura manifestum apparet.
 III. Atq; hac de definitione, figura & modi, ubi saltem quid
 sint vidimus? At quia non solum ad rem integrè cognoscendam
 quid sit, sed etiam quodplex ea sit, scire, requiritur: ideo in se-
 quenti theoremate quodplex figura, & modus sit, trademus
 & declarabimus.

Theo-

Quantitas q; & particularis,
 Qualitatis Affirmat: vel Negativa.

Theorema Secundum.

Figuræ syllogismorum tres sunt, prima, secunda & tertia: Modi sunt quatuordecim, quatuor primæ, quatuor secundæ, & sex tertiæ figuræ.

I. Diximus in proximo theoremate quod figura sit terminorum in syllogismo collocatio; jam quotupliciter & quam variè hi termini, inter se collocentur & disponantur, & quid exinde proveniat, erit tractandum & proponendum. Nam pro multiplici & variâ terminorum dispositione, varia etiam exoritur figura. Non autem per dispositionem, quamcumq; sed saltem eam qua ex ipsa natura fuit hic volumus intellectam. Et quia secundum naturam triplex saltem dispositio in syllogismis fieri potest; ideo etiam tres saltem figuras, qua ex dispositione illa oriuntur, dari asserimus. Grell. part. commun. Log. lib. 3. cap. 5. Gregorius Horst. Institut. Logicar. lib. i. tract. 4. cap. 5. Nam cum major terminus bis poni debeat ante conclusionem, sequitur, quod tunc vel subjectum in majore & predicatum in minore existat, qua collocatio medij termini nobis primam figuram efficit ut, omne animal est substantia. Atqui homo est animal. E. homo est animal. In hoc syllogismo, medius terminus est animal, quia bis ponitur ante conclusionem, & est subjectum majoris & predicatum minoris propositionis. Est deinde alia terminorum in syllogismo collocatio & dispositio, videlicet, in qua medius terminus, qui bis ante conclusionem poni, sed nunquam eam ingredi debet, fit & constituitur predicatum in majore & minori propositione: atq; hac terminorum in syllogismo dispositio nobis secundam figuram infert & demonstrat; ut V. G. Omnis homo est animal. Atqui lapis non est animal. E. lapis non est homo.

Prima Figura.

Secunda Figura.

In hoc

In hoc syllogismo, animal bis ponitur ante conclusionem, & est
prædicatum in majori & minore propositionibus; Est deniq; &
alia ex naturâ proveniens terminorum dispositio, in quâ medius
terminus qui bis poni debet ante complexionem est subjectum in
majori & minore propositione, ut in hoc videre est syllogismo:
E, Quidam ægri non sunt studiosi: omnes ægri sunt pallidi:
E, Quidam pallidi non sunt studiosi. In hoc syllogismo medius
terminus qui bis ante conclusionem erat ponendus est ægri, &
est subjectum in majori & minore propositione. Atq; ex hac tri-
plici naturali terminorum in syllogistica structura collocatione
& dispositione tres etiam & non plures oriuntur syllogismo-
rum figura. Crell: part: commun. Logic: lib:3 cap.5. Re-
gius Disputat: Logicar: lib. 4. cap.5. Gregorius Horst:
Instit: Logic: lib. I. tract. 4. cap.5. Nec movet nos Gale-
nus his tribus figuris non contentus, sed quartam adhuc isdem
adjungens, propterea quod alia quàm in tribus præcedentibus pro-
posita & declarata, terminorum, ex cujus numero figurarum mul-
titudine demonstratur, detur dispositio, & multi alij docti &
præstantissimi philosophi in hac figura & terminorum dispositione
sæpius sint argumentati. Ad prioris argumenti probationem, dicit
quod etiam medius terminus possit constitui prædicatum majoris,
& subjectum minoris, ut in hoc exemplo manifestum erit, O-
mnis homo est animal: omne animal est corpus: E, quod-
dam corpus est homo. Ad alterius argumenti veritatem ad-
ducit auctoritatem Aristotelis, Ciceronis & Macrobij, aliorumq;
qui hac argumentandi formula frequenter sunt usi. Sed responde-
mus ad horum obstaculum primum, quod videlicet præter hanc
quartam argumentandi formulã multæ aliæ dari & effingi possunt,
sed an illæ naturales & legitime sint merito dubitatur & negatur.
Galenus autem & alii aliorum argumentationes non sunt natura-
les, sed plane contra naturam, quorum tractationem à Logica,
B qua

Tertia Figura.

Galenus quarta
Figura

Obiectio

Obiectio 2.

Philo 2.

inverso ordi-
nis figurarum
cum Ramis
reijciunt.

sequuntur qua-
tuordecim
modi

qua potius ipsius rei naturam & fundamentum sequitur, cum reliquis veritatis Discipulis arcemus. Altera vero ad probandam hanc quartam syllogismorum figuram rationem quod attinet, respondemus & dicimus ad eam Aristotelem, & Macrobius aliosque id genus Philosophos hac argumentandi formula non ad eam probandam & astruendam, sed alterius rei, vel oblectationis, vel transformationis & conversionis propositionum causa, fuisse usos. Regius Disputat: Logic. lib. 4. probl. 5. Crell. Logic. commun. lib. 3. cap. 5. Gregor. Horst. Initir. Logic. lib. 1. tract. 4. cap. 5. Nec obstat Rami & Ramorum autoritas, qui hunc figurarum ordinem impugnare, & primam tertiam, tertiam vero prima loco dignam esse contendunt. Dicunt enim illi, tertiam figuram simpliciore esse prima, quia simplicius est semel predicari, & subijci, quam predicari & subijci simul. Exinde Rami colligere volunt figuram tertiam primo & primam tertio loco collocandam esse. Nam simplicium tractatio, ut ex physicis aliisque disciplinis patet, precedit eorum quae magis composita sunt tractationem. Sed respondemus Rami & Ramis, his subijci & his predicari, vel subijci & predicari non afferre medio termino simplicitatem quandam, sed eundem in eodem tenore quoad simplicitatem permanere, sive his predicetur sive subijciatur. Nec Aristoteles & ejusdem assecla in ordine figurarum respiciunt simplicitatem talem, qualem Ramus cum suis sectatoribus ejusdem obtrudere contendit, sed evidentiam concludendi, quae in prima praeter reliquis apparet, attendunt, atque sic eandem primo loco dignam esse defendunt & evincunt.

III. Declarata ita figurarum multitudine & numero, jam ad ipsos modos erit accedendum, & quot modos quolibet habeat demonstrandum. Dicimus in theoremate nostro quod quatuordecim sint. Vbi admonendi estis nobis hic tantum rem esse de modis utilibus non vero de modis quibuslibet, quorum multitudo nostrum

by 4.

Philo.

Arum in theoremate numerum longè post se relinquit. Non enim
hac vice prolixam de modis instituemus disputationem, sed saltem
ea ratione, quâ plerosq; Philosophos de iisdem egisse videmus, a-
gemus. Exprimunt a. hosce modos hisce plerumq; versiculis:

Barbara, celarent, primæ, darii, ferioq; 1.

Cesare, camestres. festino, baroco, secundæ. 2.

Tertia, grande sonans recitat, Darapti, felapton, 3.

Adjungens, Disamis, Datisi, Bocardo, ferison.

10 Notandum autem est in hisce versiculis nihil aliud quam vocales
10 observari debere, & A universalem affirmativam. E. verò
universalem negativam, I particularem affirmativam. O
verò particularem negativam propositionem indicare & denotare,
secundum hos versiculos:

Afferit A negat E sed universaliter ambæ.

Afferit I negat O sed particulariter ambæ.

Notandum etiam & hoc est vocabula quibus modi istiusmodi
sunt expressi esse saltem ficta & nihil indicare præterquam
quod ijs vocales, de quibus hic nobis sermo significantur. De his a.
modis pluribus hoc loco agere non est necessarium, sed eorum tra-
ctatio ad sequentia theoremata, ubi de singulis & eorum usu in
specie præcipiemus, transferenda.

Theorema Tertium.

Subjicit
Affirmativam.
Prima figura syllogismorum est, in qua
medius terminus subjectum in majore, &
prædicatum in minore propositione consti-
tuitur.

I. Postquam in duobus præcedentibus theorematibus quid sit
figura in genere, & quonam sint, quo item ordine cohæreant, vi-
dimus ideo jam ut de iisdem singulis in specie & quidem de primâ
priori

Major Terminus

Minor Terminus

Medius Terminus

primâ priori loco agamus, superesse & restare videtur. Antequam autem ad reliqua progrediamur, prius quid major, quid minor quid medius terminus, quid major quid minor propositio sit, quia eorum mentionem in subsequentiis facturi sumus frequentem, & forsân eorum natura multos adhuc later, breviter explanabimus. Est itaq; major terminus pars seu principium syllogismi remotum predicatum conclusionis constituens, nunquam in minore, semper verò in majori propositione vel subjecti vel predicati loco positum: Minor terminus est pars seu principium syllogismi remotum semper subjectum conclusionis constituens, & semper in minori nunquam verò in majori aliqua figura propositione predicati vel subjecti vices sustinens: Medius deniq; terminus est qui bis ponitur ante conclusionem, sed eam nunquam ingreditur, & est vel subjectum in majori & predicatum in minori: vel predicatum & in majori & minori: vel deniq; subjectum in majori & minori propositionibus. Major deinde propositio est in qua major terminus cum medio disponitur; minor verò in qua minor terminus cum medio disponitur. Harum autem omnium definitionum tam propositionum quàm terminorum evidentiam & veritatem damus & demonstramus in hoc sequenti syllogismo:

Omnis homo est animal.

Atqui Petrus est homo.

E. Petrus est animal.

In hoc Syllogismo major terminus est animal, quia est predicatum in conclusione, & saltem in majori propositione ponitur: Petrus est minor terminus, quia est subjectum in conclusione, & in minore propositione ponitur. Homo deniq; est medius terminus quia bis ponitur ante conclusionem, sed eam non ingreditur: Major propositio est, omnis homo est animal, quia in ea major terminus animal scil. cum medio termino videlicet homine disponitur: Atqui Petrus est homo, est minor propositio, quia in

quia in ea minor terminus scil. Petrus cum homine qui medius terminus est combinatur & conjungitur. Atque hac de terminis & propositionibus syllogismi obiter dixisse, sufficiat. Dicimus autem in theoremate nostro quod prima figura syllogismorum sit in qua medius terminus sit subjectum in majori & predicatum in minore propositionibus, quam non commodius definitionem quam per exempla explicare possumus; sit ideoq; exemplum hujus figurae tale:

Quicquid sentit est animal,

Atqui homo sentit,

E. homo est animal.

Hic videtis sentit quod vocabulum medium terminum constituit, esse subjectum in majori propositione, & predicatum in minore propositione. Erunt itaq; omnes syllogismi, quorum termini praedicta ratione collocati & dispositi sunt prima figura. De modis itaq; quia definitio hujus figurae per facile intelligitur, restant paucula dicenda. Diximus autem quod modi in hac figura occurrant quatuor, Barbara, celarent prima, Darij tertioq; quorum primus vult, ut, & major & minor propositio & conclusio sint universales affirmativa, ut in sequenti liquet exemplo.

Bar Omne corpus est substantia,

Ba Omne animal est corpus,

Ra E. Omne animal est substantia.

Secundus modus est celarent, qui vult, ut ex majori propositione negativa universali, & minore affirmativa universali, universalis negativa sequatur conclusio, ut sequenti demonstratur exemplo:

Ce Nullum vitium est appetendum

La Omnis injusticia est vitium,

Rent E. Nulla injusticia est appetenda.

Tertius modus vocatur Darij, qui praecipit, ut ex majori propositione affirmativa universali, & minore particulari affirmativa

mativa, particularis affirmativa deducatur conclusio, ut hoc positum declarabit exemplum:

DA *Omne malum est fugiendum,*

RI *Quidam amor est malus,*

I E. *Quidam amor est fugiendus.*

Quartus modus est Ferioq; quo jubetur, ut ex majore universalis negativa, & minore particulari affirmativa, particularis negativa inferatur conclusio, ut hoc patebit syllogismo.

FE *Nullus impius salvatur,*

RI *Quidam divites sunt impij,*

O E. *Quidam divites non solvantur.*

Atq; hi sunt modi primæ figuræ, in quibus vocaliûm saltem habenda est ratio, ut videlicet ea propositio cui A præponitur sit universalis affirmativa, cui I particularis affirmativa, cui E sit universalis negativa, cui O particularis negativa. Atq; hæc de prima figuræ ejusq; quatuor modis dixisse sufficiat.

Theorema Quartum.

SECUNDA FIGURA
70.

Secunda figura est, in quâ medius terminus est prædicatum in majori & minore propositione.

I. Dicimus in theoremate nostro quod secunda figura sit talis terminorum collocatio, in quâ medius terminus sit prædicatum in majori & minore propositione, ubi neminem turbet genus figuræ videlicet collocationem, hic esse omissum, cum plurimæ dentur in Philosophiâ tales (qua tamen propriè dicendo sunt saltem descriptiones) definitiones. Dicimus deinde quod in hac figuræ medius terminus sit prædicatum majoris & minoris propositionis ad differentiam primæ figuræ, in qua alia medij termini est collocatio. Ad declarandam autem hanc definitionem nostram, exemplum, vel syllogismum adducimus talem:

Omnis

Omnis homo loquitur, Nullus lapis loquitur,
 E. nullus lapis est homo.

In hoc syllogismo medius terminus est Loquitur, quia predicatum & majoris & minoris propositionis constituitur. Erunt itaque omnes syllogismi, in quibus talis est terminorum collocatio, secunda figura. Atque ita explicata figura ipsa, ad modos ejusdem explicandos devenimus. Sunt autem quatuor, secundum illum versiculum in hac figura modi:

Cesare, Camestres, festino, Baroco, secundae,
 Vult autem primus horum modorum, ut ex majore universali negativa, & minore universali affirmativa, universalis negativa sequatur conclusio. Secundus vero, ut ex majore propositione universali affirmativa & minore universali negativa, universalis negativa inferatur conclusio: Tertius deinde jubet, ut ex majore propositione universali negativa & minore propositione particulari affirmativa, particularis negativa deducatur conclusio. Quartus denique, vult, ut ex propositione majori universali affirmativa & minore particulari negativa, particularis negativa consequatur complexio, ut in his subsequentibus exemplis ordine patebit.

- | | |
|---|--|
| <p>1.
 Ce Nullus lapis est animal.
 Sa. Omnis homo est animal.
 rc. E. Nullus homo est lapis.</p> | <p>2.
 Ca. Omnis homo loquitur.
 mes. Nullus asinus loquitur.
 tres. E. Nullus asinus est homo.</p> |
| <p>3.
 Fes. Nulli electi damnantur.
 Ti. Quidam vocati damnantur.
 no. Quidam vocati non sunt electi.</p> | <p>4.
 Ba. Omnis qui ex Deo est, verbum Dei audit.
 Ro. Quidam judaei verbum Dei non audiunt.
 co. E. Quidam judaei non sunt ex Deo.</p> |
- Notandum denique, est in hac figura majorem propositionem semper debere esse universalem, & conclusionem semper in hac figura esse negativam.

Theorema Quintum.

Tertia figura est, in qua medius terminus est subjectum in majori & minore propositione.

TERTIA FIGURA


2. *Absolutis ita reliquarum figurarum definitionibus de tertia hic restat agendum. Constat v. hac definitio genere subintellecto, sc. collocatione, & differentia. Nā veluti in secunda diximus quod in ea medius terminus sit predicatum in majori & minore propositione ad differentiam primā, sic ad differentiam utriusq; dicimus, quod in hac figura medius terminus sit subjectum & majoris & minoris propositionis, ut hic patet*


Omnis homo est corpus, Omnis homo est substantia, E.

In hoc syllogismo medius terminus est homo, & est subjectum & in majori & minore propositione. Modi deinde in hac figura enumerantur sex, Darapti, Felapton, Disamis, Datili, Bocardo, Ferison. Quorum primus, ut ex majori & minore universalibus affirmativis conclusio particularis affirmativa: Secundus, ut ex majori universali negativa, & minore universali affirmativa, particularis negativa. Tertius, ut ex majore particulari affirmativa, & minore universali affirmativa, particularis affirmativa conclusio. Quartus, ut ex majore universali affirmativa, & minore particulari affirmativa, particularis affirmativa conclusio. Quintus, ut ex majore particulari negativa, minore universali affirmativa, particularis negativa conclusio: Sextus, ut ex majori universali negativa, & minore particulari affirmativa, particularis negativa inferatur conclusio, jubet. Exempla cujuslibet modi hic consulto omittimus, quia ad exemplum modorum in prima & secunda traditorum, quilibet facillimè proprio consilio exempla excogitare & efformare poterit. Notandum ultimò, in tertia figura minorem propositionem semper affirmativam, & conclusionem particularem, esse debere, sin minus exinde nihil legitime concludi & inferri posse. Atq; hac de tribus figuris syllogismorum adducere placuit.

COROLLAR.

1. An detur quarta figura syllogismorum? N.
2. An Ramus justè mutaverit ordinem figurarum Aristoreli-
(cum? N.
3. An bonitas in DEO sit accidens? N.
4. An mundus sit æternus? N.





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document